

EN



B. 239.

1) Vida, Dr. Hieron.

meist 2) - 6)

f) des berühmten Schach =

gedicht!

Mit Tabelle v. Schachzügen

DFW 00





Marco Girolamo Vida

[Sacerdotum laudibus]

1604



HENRICI MEIBOMII,  
Poëtæ & Historici,

FLORES SEROTINI,  
*Sive*  
AUTUMNALES,

Ad  
GEORGIUM REMVM Augu-  
stanum,  
&  
CONRADVM RITTERSHV-  
SIUM Brunsvicensem,

*Jurisconsultos Noricos.*



HELMAESTADII,  
Typis IACOBI LVCII,

---

Anno 1604.





Amplissimis, clarissimis, con-  
sultissimisq; viris,

GEORGIO REMO, PATRICIO  
Augustano,

Assessori & consiliario Norico,  
&

CONRADO RITTERSHVSIQ,  
Antecessori Altorfiano,  
S. D.

*HENRICVS MEIBOMIVS.*

---

**L**ores meos vernos, nec  
admodum multos, neq; fortè fa-  
tis bellos, nisi Vratislauiam Ely-  
siorum ad amicum veterem Fran-  
ciscum Langerum. Serotinos, siue Autu-  
mnales, non multò plures, vobis in Nori-  
cum mittere placuit. Caussam rogatis? Scio  
& ex tuis ad communes amicos literis didi-  
ci, Reme nobilissime, quod hoc genus exer-  
citij ames, meq; propter illud. Hunc amo-  
rem erga me tuum magnifacio meritò, & vt  
retinere possim operam dabo. Tibi, clarif-  
sime Rittershusi, multum debeo. Inscripsi-  
sti mi-

sti mihi nuper duas orationes Iohannis Sleidani, ab homine sapiente & disertò, sapienter & disertè scriptas, quas penè extinctas ab interitu vindicasti. Neq; isto contentus, recens appendici Assis Prophetici nomen meum præfigere voluisti: vtrumq; nullo meo merito: summa verò tuâ cum laude: adeò enim non obliuisceris veterum amicorum, vt eos ornare non desinas. Accipite ergo, viri præstantissimi, hilari fronte, manu beneuola, exiguum hoc munus Poëticum: in quo si sermonis elegantia & numerorum venustas non vsq; adeò fragrat: vestigia tamen religiosæ pietatis, opinor, impressa inuenietis. Valete. Helmæstadij, natali Iuliæ nostræ, qui est 15. Octobr. an: 1604.



IN





IN

HENRICI MEIBOMII,  
HISTORICI ET POETAE IN  
Academia IULIA præ-  
stantis.

FLORES SEROTINOS.



*Ic te GVELPHIADES potens,  
Sic aulæ proceres, lucida sidera,  
Musarumq; cohors amet,  
Elmi frondiferum iam nemus in-*

*MEIBOMI, tibi creditas (colens,  
Doctæ mentis opes reddere pergito:*

*Ceu fœcunda fuit tua*

*Arbos hoc spacio, floribus, annuo,*

*Bis ramos varians suos.*

*Nil cedens biferis Italiae citris*

*Pestanisq; rosarijs.*

*Postquam nuper odorauerat humidum*

*Vernis aëra flosculis,*

*Autumnorum etiam munera fructuum*

A 3

Iam

Iam serotina præbuit,  
Aurum quæ superant & precio, fauos  
Et dulcedine Hymettios.  
Fausto sidere feliceq; dextera,  
O Arbuscula nobilis,  
Elmani sapiens conditor hortuli,  
Fundo te posuit suo,  
Insigni patriæ non sine gloria,  
Nec magno sine commodo.  
Ab nunquam noceat terribilis tuæ  
Caurus frondis honoribus.  
Sed te continuo vere Fauonius  
Afflatu foueat suo:  
Dum translata soli finibus, & poli  
Lætis consita tempesti  
Vernes perpetuos & vigeas dies.

Daniel Sachsius M. Eccle-  
siæ Martinianæ Halbersta-  
diensis pastor.

PRE-



PRECATIO ECCLESIAE.

Ne abijcias me in senectute meâ.

Psalmo 71.

**E**T veniet mihi, iamq; instat, damnosa senectus,  
Eheu multiplicis foeta futura mali!  
Tunc animi robur, tunc corporis omne fatiscet:  
Tunc erit & sensus consiliumq; procul.  
Ab ne illo, omnipotens, me desere tempore: nec me  
Proijce: sed dextrâ duc, rege, flecte, tuâ.

---

Responsum Filij DEI.

Esaia 46.

**M**Orbos, & tetricæ noui ærumnosa senectæ  
Pondera: iam pridem hæc sunt medita-  
ta mihi.

Ipse ego, ne dubites, ad canos usq; trementes

Peruigil astabo nocte dieq; tibi.

Ipse manu fessam collabentemq; leuabo:

Atq; ubi opus præsens auxiliator ero.

---

Vera laus.

A 4

Laudes

**L**auder ab infami? vera hæc infamia: laudem  
hanc

Protinùs ac patiar, me feret ille suum.  
Displicuisse malis, & eorum ferre cauillos,  
Si quæ grata mihi laus fuit, illa fuit.

---

Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.

**Q**uod furiosa negas, hoc exterus asserit auctor  
Quem, Solyme, occidis, rex erat ille tuus  
Te scelus inuidiæ excæcat ferale: sed iste,  
Scribere quod res est, fasq; piúmq; putat.  
Aspicite Hebræi, Grai, fortesq; Latini:  
Vt regem Solyme tractet iniqua suum.

---

Lignum fatale.

**T**urpe crucis lignû: mors est turpissima in illo:  
Et tamen hac regem mactat Apella suum.  
Tantum ideo, ut prodatur rabiem dirumq; furorem:  
Quid faciat nescit, res tamen omen habet.  
In ligno lapsus, in ligno erectio, & inde  
Debuit esse salus, perditio unde fuit.

---

Nequaquam moriemini.

Genes. 3.

Impro-

**I**Mprobe ubi nunc est? quod dicere non dubitabas:  
Nequaquam vobis mors metuenda venit.  
Ecce omnes morimur iuvenesq; senesq;, nec vlla  
Res quemquam à tristi liberat interitu.

---

### Niniue resipiscens.

**V**Rbs iacet Eois & diues & inclyta terris,  
Regis opus monumenteq; Nini: qui fœdere rupto,  
Quod DEVS & melior dederat Natura, subactis  
Gentibus, Imperij formam stabilivit iniqui.  
Illa opibus tumefacta suis, & pondere regni,  
Ibat in omne nefas, & qua subvertere fundo  
Sceptra solent laxis scelera admittebat habenis.  
Vidit, & ingemuit superi regnator Olympi,  
Defecisse modum culpis, lateq; vagatum  
Perniciale malum, lapsumq; a vertice in artus  
Omnia mirifico populari membra venenum.  
Quid faceret? meritas plus quam iustissimus ultor  
Exigeret pœnas? facile hoc iamq; omnis in armis  
Regia cœlestis: piceos seu spargere nimbos  
Mens foret, & fontes flammis subvertere muros:  
Seu mallet punire vadis, fundoq; leuatum  
Eufratem trepidis undantem inmittere rectis.  
Vindictam tardabat amor: & gratia, tempus.  
Si daret exiguum, nec vis festina noceret,  
Spondebat, quæ vellet agi: pro turpibus ausis,

A S

Obse-

Obsequium supplex, odiumq; furoris iniqui.  
Victa Dei mens est, cui tam miserescere promptum,  
Quàm seuire alijs. animatus flamine Vates  
Mittitur, instantes cælo qui nunciet iras,  
Decretumq; diem Superis, quo diues in atros  
Subsidat cineres, terræue absorpta patente  
Intereat Niniue. Fatis postquam ille resoluit  
Ora fidem inuenit: nec enim facundia dictis,  
Aut grauitas animo deerat. Rex ocyus ipse,  
Vt vocem audiuit clamantis & horrida verba,  
Obstupuit, gemuitq; vicem, tam gentis & urbis,  
Quàm stirpis propria. Nam vatem vera locutum  
Quis dubitet? scelerum hoc moles peruincit, & ira  
Indubitata Dei, totas exscindere gentes  
Sæpius, & fontes solita exstirpare tyrannos.  
Ergo, quæ superat spes una, resedit in illo,  
Vnde metus pœna: quem crimen laeserat effrons,  
Hunc placare iuuat. primus velamina princeps  
Serica, & ardenti perfusas murice vestes  
Exiit: hunc aule proceres regniq; sequuntur  
Lumina: mox totam plebes diffusa per urbem,  
In gemitus lacrymasq; ruunt: non vina iacentes,  
Non epulæ afficiunt: quin ipsa armenta gregesq;  
Inclusi stabulis sine pastu degere iussi.  
His animaduersis, quæ pridem exarserat ingens  
Ira soluta Dei est: subiit miseratio mentem:  
Et veniam meruere preces: cum rege Monarcha,

Ipsa

*Ipsa caput regni studijsq; asperrima belli,  
Incolumis multos Ninive duravit in annos.*

---

### Solve quod debes.

**Q***ua debes aliena puta, nec reddere differ:  
Non minus his alij, quam tibi fors an opus.  
Sic tibi ne prosis, ut cuiquam damna creentur.  
Et sua qui solvit debita, nutrit opes.*

---

*Ecce ego mitto vos sicut oves in  
medio luporum. Matth. 10.*

**N***on ego vos opibus, nec honori destino: regni  
Conditio non est imperiosa mei.  
Qualis grex ouium, quem circumfusa luporum  
Dilaniant miseris agmina cruda modis:  
Tales vos mundo. nulla est iniuria: nulla,  
Parcere quæ vobis carnificina velit.  
Nec tamen illa malo: quo plaga nocentior ista,  
Hoc vestri cætus gloria maior erit.  
Nempe quod expansæ solet esse putatio viti:  
Cætibus hoc isthæc est laniena meis.*

---

*Mea hora nondum venit.*

*Ioannis 2.*

*Et quæ*

**E**T quis me melius defectum nouit egentis?  
Et quis ad auxilium promptior esse solet.  
Parce tamen tempus mihi præfinire modumq̃:  
Hic etiam matris cura molesta mihi.  
Cui nihil est absens: cui sunt præsentia cuncta:  
Num tempeſtiuam non ferat æquus opem?  
Non mea dum venit: uoniet tamen hora: priusquã  
Sponſi egeant, ſapidum fons dabit iſte merum.

---

Pœnitet me feciſſe hominem.

Gen. 6.

**Q**uid potui, quod non feci? cùm pulueris eſſes  
Maſſa, hominem feci & mentem animũ-  
quẽ dedi.

Adieci imperium terræq̃, marisq̃, ſubſſent.

Vt tibi ceu regi cuncta creata ſuo:

Quid mihi pro tantã pietate reponitur? haud eſt,

Qui cupiat iuſſis moriger eſſe meis.

Quod feci, infectum mallem: proh pœnitet huius

Conſilij! ô nunquam conditus eſſet homo!

---

Hæmorrouſa. Marc. 5.

**S**I mea, Chriſte, fides ſaluam me reddidit, &  
fons

Sanguinis arcanã ſiſtitur huius ope:

Quid



Quid tua vestis agit? quæ ni mihi tacta fuisset,  
Prorsus ab hac nondum libera peste forem.  
Vis ea, quam sentis tibi decessisse, salutem  
Attulit, & tactus profuit iste mihi.  
Quam quia defectæ spes & fiducia suaserit:  
Iam tuus haud potuit tardior esse fauor.  
O facilem meritis! quid si non ipsa rogassem,  
Auxilium nunquid sponte daturus eras?

---

### Iustitia Christi.

**S**I mihi pro meritis reddantur præmia vitæ,  
Quæ satis in pœnas Styx Acherônue foret?  
Sic animus putet: sic vitæ putrescit, ut haud sit  
Turpior immunda sordida vitta nurus.  
At qui me ex nihilo fecit, pars orbis ut essem:  
Qui primo eversum crimine restituit.  
Qui tot nequitijis, tam multâ labe pudendo  
Nunc etiam patriam spondet amanter opem.  
Ille sonus nostra IESVS prædulcis in aure,  
Quod nulli est hominû fas dare, spontè dabit.  
Iustitiam ille suam, Lex nostram ubi seua requirit,  
Offeret: hoc pacto pro nece vitæ mihi.

---

### Simplicitas.

**S**implicitas laus est, & fraus simulatio: dignum  
Ingenio quod sit delige quisq; tuo.  
Nouem

---

Nouem autem vbi sunt?

Lucae 17.

**E**rgo decem sanas, tantumq; reuertitur unus,  
Qui gratum & memorem se tibi, Christe,  
probet?

Nec tamen ille tua de gente: sed exterus: hostis  
Nominis & ritus, gens recutita, tui.

Nempe Samarites, ab queis versatur in ore,  
Quam raro his pietas seria corde sedet!

Quando opus auxilio, te, Christe sequuntur, & orant:  
Adiuti fugiunt numinis ora tui.

Quid iuuat informem membris expellere lepram,  
Et scabie interius sordidiore premi?

---

Tristis est anima mea usq; ad mor-  
tem. Matth. 26.

**T**ristis es; & merito. quis enim non horreat illam,  
Quae cum ignominia sit subeunda necem?

At tua quae mors est, quae sors, mitissime IESU!  
Hic Satanae rabies, mortis & ira coit.

Accedit patrij fulmen caeleste furoris:

Cuius ab attactu terra polusq; liquent.

Si non alterius naturae robore fulto,

Maion in hoc ipso vis tibi agone foret:

Iam

*Iam confecta caro flammis cessisset Auerni:  
Non oneris tanti scilicet illa capax.  
Esse homo, & esse Deus Saluator debuit, inde  
Qui modo tristis eras, mox rediuiuus uas.*

---

### *Consideratio passionis Filij Dei Iesu Christi.*

**E***Xcute somnum oculis, iustasq; expergita curas  
Suscipe mens mea: & huc, quem sisto, lumine a-  
Contemplare virum: non illum Couis Apelles (cuto  
Pinxerit, aut Phidias melius, quam Flaminiis almi  
Ante oculos doctâ descriptus ponitur arte.  
Intentis, age, cerne oculis, quæ forma, quis illi  
Sit color, atq; habitus: incedit imagine Regis  
Celsior, at seruo tractatur acerbius omni.  
Incingit Diadema comas: sed rhamnus in illo  
Plurimus, hamatis perumpens tempora spinis,  
Diffundit roseum per eburnea colla cruorem.  
Induitur cocco rutilanti & murice, verum  
Plus ignominie quam ornatus inde resultat.  
Nec Sceptrum manibus desit: sed vapulat illo  
Seuiter, ut quassis increcant tubera malis.  
Qui Solio impositum submisso poplite adorent,  
Et regem inclament videas hic deniq;: at eheu  
Illi idem alternis derisi sputa verendis*

*Iny-*

Inijciunt oculis, & verbere labra fatigant.  
Aspice spectaculum, mea mens, tam triste, quis illo  
Despectus magis, aut maiori pondere pressus?  
Subditur ecce cruci, dorsoq; infame gravato  
Tollit onus: sitiens pro viui fluminis unda  
Fel myrrhamq; bibit: tormentis omnibus haustus  
Et lethum opperiens pro diris hostibus orat.  
Quis nouus ille hospes nostro sese intulit orbi?  
Vnde illi hoc robur? plusquam crudelia passus.  
Obticuit tamen, atq; ira vociq; pepercit.  
Non questus, non ille minas, maledictaq; fudit  
Aduersus genus immundum rapidosq; molossos.  
Et quasi nulla foret sibi facta iniuria, supplex  
Exorat veniam sceleri, sanctoq; parenti  
Carnifices seuos prece conciliare laborat.  
Quid mansuetiur hoc? quid queso benignius unquam  
Intuita es mea mens. Si demta sindone nudum  
Inspicis, apparent laceratis artubus vda  
Vibices, lentusq; cruor: manus viroq; clavis  
Fissa rubet: geminas fissum latus euomit undas.  
Hinc atq; hinc pendent duo (terra pondera) pænis  
Maectandi paribus, Nemese vlciscente, latrones.  
Quos inter medius, ceu pessimus, eminet ille.  
Flete perennè oculi, salsoq; madescite rore:  
Igne liquefce anima, atq; illi te ostende flagrantem:  
Qui pariens adeo, atq; adeo mansuetus atroces  
Sustinet ærumnas: atq; hoc vt lapsa resurgas,

Mor-

*Mortua viuescas, & deplorata triumphes.*

---

### **Victor victus.**

**V**icisti semel, & vicisti fraude dolosa  
Illum, quem noras callidus esse hominem.  
Qui par esse Deo nisi presumpsisset, ab astu  
Securus vixet secula multa tuo.  
Qui te iterum vicit, prostratumq; exiit armis,  
Ille Dei soboles atq; homo verus erat.  
Ergo vi vicit patriam, duxitq; triumphum:  
At miserum palma te pizet, atq; pudet.

---

### **Christus mihi omnia.**

**Q**uo magis atq; magis mundi me involuo pro-  
cellis,  
Hoc magis atq; magis te, Christe benigne, relinquo.  
Verum ubi te leuam seductus mente reliqui,  
A me ipso videor quoq; longius esse regressus.  
Illecebra hinc mundi quatiunt me, atq; impete quas-  
Ferali excutiunt: excussus prorsus amorem (sum  
Excutor: Sed me non segnius excutit ille.  
Tu merus & sincerus Amor, dulcissime IESU.  
Ignis inardescens diuini iugis amoris  
Ex patrio temet, mirum, deduxit Olympo  
Ad genus infelix vita durosq; labores,

**B**

*Cum*

*Cum pro me morerere bonus, quò demta rediret  
Vita mihi, & culpis deperdita regna parerent.  
Ite, faceſſite cuncta, apage omne, quod vſpiam ami-  
cum eſt,*

*Iucundumq; mihi. Præter Ieſum omnia nil ſunt.  
Ipſe eſt omnia, & abſq; illo nihili omnia pendo.*

---

**Ieſu Fili Dauid miſerere mei.**

Lucaë 18.

**C**orporeis oculis video nihil: improba labes  
Clausit eos: cordis lumine cerno aliquid.  
Inuida quid prohibes plebes clamare? recedes  
Nil de demenſo, quod dabit ille, tuo.  
Qui ſileam miſer, atq; hoc tanto cardine rerum  
Abſtineam? hic iubeat, nec mora, mutus ero.

---

**Pecunia pecudum eſt.**

**A**pecude, vt perhibent, eſt dicta pecunia;  
quisquis  
Torus in hac, merito dicitur eſſe pecus.

---

**Mors optanda non timenda.**

**E**xſilium cæli eſt hac vita miſerrima: ab illâ  
Nos vocat ad ſuperos patria vera lares.

Ergo

*Ergo optare pium est hac solui vincula posse:  
Liber ut esse queam, qui modo seruo inops.*

---

*Vidua, pupillus, hospes.*

**E** *Si accepta Deo vidua, est pupillus & hospes:  
Hac liberorum sacra sint tibi loco.  
Immo etiam soboli malis aliquanta deesse,  
Ut sit quod erogare munificus queas.  
Sive peregrino, aut vidua aut atate minori:  
Quantum dabis, tantum redibit illico.  
Cuncta Deus reddit: quin quod das alteri id ipsum  
Habet: sed illud, quod tenes, deest tibi.*

---

*Lis, spes, miseria.*

**L** *Is spem progenerat: litem spes anxia nutrit:  
Finis comesque harum sed infelicitas.*

---

*Tege infortunia.*

**S** *I tibi fors aliquid facit inuidiosa sinistri:  
Esse dies & si forte nouerca volet:  
Prouidus & prudens tege singula, ne qua voluptas  
Hostibus exsurgat certior inde tuis.*

---

*Quod scriptum est scriptum est.*

*B 3*

*Nilse.*

**N**il remerè scripsi, rex ille est vester, Apella,  
Quem licet inuitus, hei mihi! rado neci.  
Ex hoc caussa tibi est belli iustissima, Caesar:  
Classica diuersis hac lege scripta noris.  
Si tibi latrones ius perdere, perde rebelles,  
Persidiâ quorum rex malè casus obit.

---

Diues epulo, Luc. 16.

**E**n quo splendidior vestitu nemo repertus,  
Is Stygium nudus mittitur in barathrum:  
Qui sibi se soli natum factumq; putabat,  
Alterius modicam poscit egenus opem.  
Quiq; mero dulci noctuq; diuq; madebat,  
Exiguam in medijs ignibus orat aquam.  
Discite vestitu dices moderatius uti:  
Et natos etiam credite vos alijs.  
Parcite vino animum sic eneruare liquente,  
Ut ventri immersus nesciat ille Deum.  
Vita breuis: fluxus terreni splendor honoris:  
Aeternum est quicquid postuma vita foret.

---

Vitæ longioris bona.

**L**ongior hoc vita prestat tibi portio, plura  
Ut videas, facias, sustineasq; mala.

Sola-



---

## Solatum.

**M**ultum est impietas mea quod scelerata me-  
retur

Sed Christi pietas quod prestat, maius id illo.

Nemo iniustitiâ, fateor, me & crimine maior:

Sed nec iustitiâ quisquam illo cœlite maior.

---

## Opes inopes.

**S**i tibi diuitia atq; ex istis gloria, crede

Ex flammâ fumum ardente micare tibi.

Quam leuis infusa si extinxerit impetus unda:

Iam nihil hîc lucis nilq; caloris erit.

Talia sunt, fatui quæ iactant stemmata: tales,

Momine quas vno sors mala perdit, opes.

---

## Remissa seueritas.

**V**tere supplicijs ac si pariaris & ipse:  
Peccare est hominis, parcere posse Dei.

Plurima qui miserans differt mala, prouidus idem

Auctor inexhausti multiplicisq; boni.

---

## Querela, Ieremiæ cap. 5.

**Q**uis putet, aut credat, nisi res hoc ipso loqua-  
tur?

En in gente meâ, triste & lacrymabile dictu,  
Inuenias agmen, pieras cui seria nulla.  
Qui laqueos ponunt alijs, & fallere gaudent:  
Qualis aues pedicis & visco decipit auceps.  
Fraudibus astutis illorum tecta redundant:  
Ut cauea volucrum densata foramina pandunt.  
Hinc illis census, atq; imperiosa potestas:  
Corporis hinc habitus pulcer, tranquillaq; vita.  
Artibus utuntur prauis, & subdola cudunt  
Consilia alterius damno. non iura, nec equum  
Respiciunt: non pupillus, non pauper ab illis  
Supperias, ut poscat, habet: sibi viuere sueti  
Nequaquam miserum voces, lamentaq; curant.  
Atq; hæc impunè & nullo perhibente, superbas  
Inter opes, epulas inter, multosq; clientes.  
Hæc ego collustrans oculis vigilantibus, iræ  
Parcere, & ultrices possim suspendere pœnas?  
Non ita. vindictam mea mens de gente profanâ,  
Auersata dolos implexaq; crimina sumet.  
Dira loci facies: regio est teterrima tota:  
Falsa docent vates atq; imperiosa sacrorum  
Turba ministrorum dominari gaudet in arcto  
Munere. quis finis vitæ quisuè exitus huius?

Vul-

---

Vulpes foueas habent, & volu-  
cres coeli nidos: &c.

Lucae 9.

**N**on auibus nidi: non desunt vulpibus antra:  
Conditur & nota bestia quaq; loco.  
Nulla te ges rerum Domino, quo fessa recondat  
Membra, nec afflicto quae leuat umbra ca-  
put.

O mihi tam felix fueris, dulcissime IESU:  
Ut tibi sit nostro hoc pectore grata domus!

---

Abrahamus tentatus.

Gen. 22.

**D**Vrius haud aliquid poteras imponere, cordis  
Dimidium ergo iubes sacrificare mei?  
Qui renuam? qui me excusem? parebo. sed heus tu:  
Qui magis hoc casu quod vereatur habes?  
Me soboles moueat? tua te promissio, Ioua:  
Hic nunquam similis non potes esse tui.  
Quid sim factururus cupis explorare? sed ipse  
Quid velis, aut possis, non minus experiar.  
In spe, spem contra, certum est mihi credere: quic-  
quid  
Accidat, indemnem me tua dicta volent.

Mun-

---

Mundus gaudebit, vos flebitis.

**Q**uid magis indignum? mundi pars maxima  
gaudet:

*Illis letitiam vina, Venusq; creant.*

*Pars minor, at Christo carissima, pressa laborat:*

*Hic labor & luctus: deniq; mors misera.*

*Estē viri fortes oneris sub mole gementes:*

*Qui premit, aternus non erit ille dolor.*

*Flebilis excipiet peccantium gaudia luctus:*

*Vos manet aterna texta corona manū.*

---

Mea fortuna.

**V**na dies orbū me fecit utroq; parente:

*Heu nimium nostris rebus iniqua dies!*

*Tum nondum quinta mihi luxerat orbita Luna,*

*Solus & in mediā peste relictus eram.*

*Cum fugerent alij, nec adesset cura parentum*

*Semper apud fœtus irrequieta suos.*

*Tu mihi, tu præstò solusq; unusq; fuisti,*


*Christe, tuâ vixi fœtus & altus ope.*

*Fortunam in terris infans expertus acerbam*

*Eiusdem pueros conditionis amas.*

FINIS.





ALVE



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



CI MEIBOMII,  
tæ & Historici,  
ES SEROTINI,  
*Sive*  
VMNALES,  
  
Ad  
VM REMVM Augu-  
stanum,  
&  
VM RITTERSHV-  
M Brunsvicensem,  
*consultos Noricos.*  
  
LMAESTADII,  
ACOBI LVCII,  
Anno 1604.

